



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia II. Aliud Somnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Cui tremulis pennata phalanx alludit in alis,
 Cæligenumque duces omnia læta canunt.
 Quaque super resonis chorus aliger accinit vndis,
 Spargit aquis niueum cana columba iubar.
 Quæ præit illa, sequor: sed quæ sequor auspice
 Cælo,
 Vndosum Cyano marmore signat iter.
 Ridet inoffensum pacato lumine Cælum,
 Et picto annumerat sidera mille salo.
 Iamque sonant remi clausisque frementibus vndis,
 Veliuolamque vehunt flabra secunda ratem.
 Excitor ô: remi sonus excitat, excitat vnda.
 Heu! mare quod vidi, somnus & error erat.

ELEGIA II.

Aliud Somnium.

Vt placidi rupit fragor improbus omina
 somni;
 Iam vigil vmbroso mæsta resido toro.
 Sidentem tacitis alius sopor impulit alis.
 Victa labo: somno triste reclino caput.
 Velifero campo rediuiua recurfat imago;
 Inque mari puppis quæ prius iuit, abit.
 Ibat ouans remis, Zephyrique ferentibus alis,
 Prora per Aegæum Carpathiumque fretum.
 Ecce, micat, volucrique fecat caua nubila cursu
 Nescio quæ velis obuia Diua meis:
 Cui teneris nix casta genis, cui viuuda vultu
 Purpura, & ambrosijs gratia suada labris.
 Statque corona comis, altoque in vertice turres,
 Et viridem pingunt florea regna togam.

Hic

Hic valles Dryadamque domus, montesque co-
mantes,

Arua, lacus, fontes, flumina, saxa, specus.
Et bene (si memini, nec me vaga somnia fallunt)

Ales ab occiduis appulit illa plagis:
Idque ubi se curuo lunant caua cornua portu,
Turritumque tumet terra superba caput.

Inde domo (an fallor?) vacuū decurrit in æquor,
Occurritque meæ conscia Diua rati:

Adnatat & delphin (quid enim non somnia
sunt?)

Nobile cui cingunt lilia fulua caput:
Nereidumque chorus, plaudensque ad cornua
Triton,

Exsultimque vibrans omina dextra canit.
Interea puppim pulcherrima Neptunine

Lustrat, & aspirat candida Diua iubar.
Ut quid, ait, cæcas palaris ut vnda per vndas,

Quam rapit incertis ventus & æstus aquis?
Siste pedem, volucremque fugam, soror æmula

Diuis:

Quæque mihi flauent lilia, munus habe.
Aurea veliuolam quot cingunt lilia malum,

Gloria Magdaleo tot dabit astra mari.
Massiliam pete, Massiliam mea regna; sub isto

Littore currenti meta stat apta rati.
Dixit, & antennas malumque coronat, & auro

Liligero lustrat lucida Diua trabem.
Dum specto, in vacuas euauit ilicet auras.

Lilia ut astra micant, cetera nimbus habet.
Nunc erat optatas tandem ut mea pinus arenas

Tangeret, emenso non reditura mari:

Festa

Festa cauâ at Triton dū personat æquora conchâ,
 Et clarum irradiant lilia fulua diem;
 Massiliam conclamat ouans, & nauita rursus
 Massiliam ingeminans classica festa canit.
 Excitor, abruptis sonus & lux obuia somnum;
 Si modò sit somnus gaudia vera sequi.

ELEGIA III.

*Abripitur MAGDALENA in
 exsilium.*

MANE memor vigili voluebat Magdala curâ,
 Quæ dedit hesternâ somnia nocte quies:
 Exspatiâsq; foras vernis errabat in agris,
 Roscida dum primo gramina sole virent.
 Sic viridi errantem campo rapit improbus hostis,
 Et patriæ auellit dirus Apella sinu.
 Effugit illa manus, & inobseruata paternos
 Ambit in itæque lares: denique prædò rapit;
 Ac procul, heu! procul ignotas deportat in oras
 Figentem patrijs oscula liminibus.
 Et tandem geminas socio cum fratre sorores
 Dirus Ioppæo littore latro stitit.
 Hic (vt fama refert) infelix Cassiopeïæ
 Gnata stetit diræ victima dira feræ.
 Monstrifero Andromadæ portu vt stetit anxia
 voti
 Magdala, cui cingunt monstra eruenta latus;
 Illicet exclamat tot mortes inter & hostes:
 Andromede ad Ioppen altera rursus ero.
 Figere ceratis voluit pia vota tabellis,
 Sed pia fingentem vota procella rapit.

Sic